

Ego peccator nomine Otpertus, & si vellem tegere peccatum meum, indicium esset mearum inquietudo venarum, & membrorum motus: quod ut quisque cognoscat ob quam causam acciderit, legere volentibus per ordinem pandam. Erasmus 18. quindecim viri & tres mulieres in villa Colbike regionis Saxonicae; ubi Sanctus Magnus magna veneratione recolitur, qui in sanctissima nativitate Domini expletis matutinis cum Missarum solennibus interesse deberemus, svadente Diabolo choros in Coemiterio duximus. Presbyter verò nomine Ruetpertus jam primam Missam inchoaverat; sed heu ita nostra cantilena impediabatur, ut idipsum inter sacra verba personaret, commotus hac importunitate nos adiit, monens nos, ut quiescentes à tali opere Ecclesiam intraremus. Spretus ergò à nobis, hac imprecatus est voce: Utinam potentia DEI & merito S. Magni Martyris, sic inquieti annum cantando ducatis. Erat vero una trium mulierum filia Presbyteri nomine Merset, quam jussu patris frater ipsius mulieris vocatus Joannes, brachio apprehendens conabatur à choro retrahere, sed mox brachium à corpore abstraxit: attamen una gutta sanguinis manavit, quodque est mirabile dictu, sine brachio nobiscum cantando ac terendo pedibus secundum imprecationem Presbyteri annum peregit. Ergo sex mensibus volutis usque ad genua terrae emersi sumus: post annum redeunte eadem sanctissima nativitate Domini usque ad latera dimersi sumus, & in amictu choros duximus, & tunc per Dominum & Sanctum Herbertum Coloniae civitatis Episcopum, Christo volente liberati sumus. Idcirco ad nos eadem die nativitatis veniens, & orationem super nos complens, à ligatura, qua invicem manu ad manum tenebamur, solvit nos, & ante altare S. Magni martyris reconciliavit. Sic demum gravissimus sopor invasit nos, & ante Altare obdormivimus & tribus diebus cum tribus noctibus continuò obdormivimus; Unus ergò è nobis Joannes nomine, cum supra dicta Presbyteri filia, & duabus aliis foeminis, ante ipsum Altare prostrati terrae statim Spiritum emiserunt. Post
excitatio-